Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26207
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Item queritur cur sub una specie poti(us) quam sub alia. Solutio. Quia res huius speciei expressam habens similitudinem cum utraque re huius sacramenti. quia sic panis ex multis granis. et vinum ex multis acinis. sic corpus Christi materiale ex multis menbris. et spiritale ex multis fidelibus constat. et sic in pane et vino plena et principalis refectio est. sic in hoc sacramento plena et principalis est refectio animarum. quia per velum carnis venitur ad gustum divinitatis.

Item queritur cum totus Christus sumatur sub utraque specie. quare non sub una tantum. sed sub duplici sumatur.

Solutio. Ideo sub duabus speciebus. ut ostendatur quia totum hominem assumpsit. ut totum corpus sanaret. Corpus enim pro corpore. animam pro anima assumpsit. et panis in carnem. et vinum in sanguinem mutatur. Ideo itaque sub duabus speciebus sumitur. ut anime et corporis in Christo susceptio. utriusque liberatio in nobis significetur.

Iterum cum caro et sanguis sit sub utraque specie. queritur an substantia mutetur in carnem et sanguinem Christi.

Solutio. Hoc utrumque fit sub utraque specie. tamen sola substantia panis mutatur in carnem. et sola substantia vini in solam substantiam sanguinis mutatur.

Nec debent dici duo sacramenta sed unum. neque dicitur iterari sacramentum. quia benedictio non repetitur sub eandem speciem. neque alie species in sacrificium veritatis debent offerri. quia de aliis non potest consecrari corpus et sanguis Christi. quam de grano frumenti in pane redacto. et de vino. Queritur cur aqua cum vino ponatur in calice domini. Solutio. Aqua populum significat. Unde nec vinum quod Christum significat debet offerri sine aqua. quia Christus non est passus nisi pro populo. nec aqua sine vino ullomodo. quia populus non est redemptus nisi per Christum. Queritur si irritum fuit sacrificium. si aqua pretermittitur. Solutio. Si quis non intendens heresim introducere. oblivione vel ignorantia aquam pretermiserit. non videtur esse irritum. Unde nec ecclesia grecorum aquam apponit. Aqua vero nullatenus potest offerri in sacrificium nec panis non de frumento. nec grano non redactum fuit in panem.

Solet autem queri an aqua cum vino mutetur in sanguinem. Solutio. Dicunt quidam mutatur. nobis autem videtur quod non mutatur. quod a magistro Acardo accepimus. Queritur an Iudas acceperit corpus domini in tincta buccella. Solutio. Non tamen sed prius cum ceteris. Queritur de accidentibus que remanent speciei. sapore. pondere. et forma. in quo subiecto sint. Solutio. Multi doctores in hoc consentiunt. quod sint sine subiecto. sic substantie carnis et sanguinis sunt ibi. sine huiusmodi accidentibus.

Solet etiam queri de fractione et particione que est ibi. in qua re fiat. quia non est ibi alia substantia. quam substantia